

infaustam tamen & auctori suo aeternum exitiosam colloca-
vit, perpendendam dabimus. Erit enim vel hoc jucundum,
cognoscere exinde, nervum verborum Christi, quando no-
minat nos beatos, ὅταν ὀνειδίσωσιν ἡμᾶς καὶ διώξωσι καὶ εἰπω-
σι πᾶν πονηρὸν ῥῆμα καθ' ἡμῶν ψευδόμενοι ἕνεκα τοῦ Χριστοῦ.
Matth. V, 11.

§. IX.

Quando nobis cum ipsis negotium est de Scriptura S.
quod Verbum sit DEI unicum, excluso verbo non scripto,
quo nomine Traditiones compellant, nec admittimus in-
ter κρητήρια & argumenta ad probandam ejus divinam & Ca-
nonicam auctoritatem, nisi secundo, ecclesiae suffragium,
neque concedimus ecclesiae aut ejus Capiti humano pote-
statem iudicii aut normae in sensu ipsius definiendo, sed
Spiritu S. illam vindicamus; dicimur BIBLIISTAE & SCRIP-
TURARI, communi velut & solenni compellatione,
cujus exempla B. GERHARDUS Confess. Cathol. L. II. Art. 1.
Appendice p. 452. congeffit, & quam honori potius quam
probrio, quod intenditur, ducimus. Quando Canonem
Israeliticae Ecclesiae in veteri & primitivae in N. T. sequimur,
& libros Apocryphos V. T. a Canonicis, uti par est, segre-
gamus, hosque solos, exclusis illis pro norma credendi ha-
bemus, JUDAISMUM nobis impingunt, Autores Speculi
Brandenburgici P. II. p. 72. Sigillatim Lutheri, quando in
colloquiis mensalibus edisserit, (ad quae tamen provocari
tunc demum posset in causis tantis, si probatum daretur,
Lutherum illa omnia pro suis agnovisse:) Jobum instar co-
moediae scriptum esse, Ecelesiasten non ut reliquos libros,
esse pleniorē, & locupletiorē, sed siccis incedere, id est,
ut quidem arbitramur, de operibus cum primis agere; ubi
praeterea notamus collectorem verba confuse excepisse:

B 3

Cui-